

einzelne verzeihelt 4. III. 1915

Silvest. theol. Vol. 35

~~S. 111.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-15.
SIGNAT. CISIDCCCXIII.

18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2



// //
כש הקכה

21

DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
CREATIONE
EVÆ

Ex
Costa Adami,

Quam
In Illustriad Albim Academia

publice sustinebit
PRÆSIDE

M. GEORGIO FRIDERICO
HEÜPELIO,

Argentoratensi,

JOH. MICHAEL ZEBERLIN,

Nordlinga - Svevus,

Ipsis Calendis August. A. c1o 1oc LXXXVIII.

H. L. Q. C.



WITTENBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII.



V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo atq; Pru-
dentissimo*

GEORGIO WILHELMO

SCHÖPPERLINO,

Imperialis & Inclytæ Reipub. Nörd-
lingenfis Senatori Gravissimo

&c.

*Domino Patruei, Evergetæ & Mæ-
cenati summo omniq; observantiæ
cultu devenerando,*

In debitæ gratitudinis Symbolum, favorisq;
perpetui incitamentum Disputatio-
nem hanc

observantissime offert

Johannes Michael Zeberlin,

Respondens.



|| ||
בש הקכה

DISSERTATIO PHILOLOGICA
De
CREATIONE EVÆ,
Ex
COSTA ADAMI

§. I.

EVa, de cujus creatione ex costa Adami pro modulo ingenii differere fert animus, nomen suum à marito Adamo accepit. Sic enim legimus *Genes. III. v. 20.* ויקרא האדם שם אשתו חוה & *vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva.* Ratio appellationis est, quod חוה deducatur à חיה vixit, mutato vau in jod ad differentiam חיה (*), ut notet vivificatricem, seu, vitam communicantem omni homini futuro, כי היא חיתה אם כל חי, quia mater esset omnis viventis. Probe enim Adamus sciebat, cognitumq; habebat ex sanctione divina *Genes. I. v. 28* נרו ורכו ומלאו את הארץ

A 2

crescite

(*). Id notatum *Aben Esra* magni nominis apud Judæos Doctori, quem etiam non pauci Christianorum in magno pretio habent. Quam in rem legatur *Cl. Job. Helvic. Willemex. disp. ad legem Levitic. cap. XXIV. v. 16. p. 22.* Conf. etiam si lubet *Leusden. Philolog. mixt. p. 226.* Verba *Rabbini*, quia ipsemet non ad manus, ex citatione *Sixtini ab Amama Antibarb. bibl. p. 232.* represento: חוה והיוה הויה ואתה חוה להם למלך ולא קראה ביוד כי מה פרשיש בין שמה ובין שם חוה h. e. *Vau & jod inter se permutantur & sic Exod. IX.* (ita enim numerus apud *Sixtinum ab Amama* est corrigendus) v. 3. *Nehem. cap. VI. v. 6.* & non vocat eam (חוה) cum jod, nam quæritum fuisse differentia inter nomen ejus & nomen animalium.

crecite & multiplicamini & replete terram, Deum nullum amplius hominem creaturum esse, sed omnes nasci debere ex muliere.

§. II. Utrum vero Evæ, Adamus id imposuerit, indideritq; nomen ante, an post lapsum? litigium est apud eruditos scru- dignum, quod paucis delineabimus. Posterius placet B. *Luthero* nostro in *Comment. super Genesim*. Si verba ejus velles, hæc sunt: *Apparet ex hoc loco Adamum recepto Spiritu S. mirabiliter sui se illustratum, & credidisse ac intellexisse verbum de semine mulieris con- trituro caput serpentis, ac voluisse hanc suam fidem insignire & ornare vocabulo uxoris sue, quod ideo nulli ali creaturæ indidit, ut aleret hac appellatione conjugis suæ spem futuri seminis, & confirmaret fidem suam seque consolaretur, quod crederet vitam etiam tum, cum jam mor- ti tota natura esset subjecta. Nisi enim sensisset vitam futuram, non po- tuisset erigi animus ejus, nec ipse tam letum vocabulum imposuisset uxori. Quia autem hoc nomen imponit uxori suæ, satis ostendit animum e- rectum per Spiritum S. fiducia remissionis peccatorum per semen Hevæ, quam ideo Hevam appellat, ut hoc nomen esset ceu memoriale promissio- nis, ex qua ipse quoq; revixit, & spem vitæ æternæ relinqueret posteris. Hanc spem & fiduciam nomine hoc ceu coloribus in fronte uxoris pingit, sicut liberati ab hostibus trophæa & alia signa letitiæ statuunt. Idem prorsus est animus Dn. D. *Brentio* *Comment. in Genesim*. Non est autem, inquit, sentiendum, quod mulier hac tantum causa dicatur Eva, quia sit mater aliorum hominum viventium, sed cum Adam paulo ante audierat Evangelium de semine mulieris, seu de filio Virginis & acce- perat una cum uxore sua ex eo maximam consolationem, adeoque vitam ipsam in summis illis terroribus ac morte, in quibus ante tribunal DEI versabantur: Idcirco imponit uxori nomen Evæ, seu viviparæ, tanquam monumentum illius Evangelii, de semine illo, quod nasciturum erat è mu- liere tantum & allaturum veram vitam omnibus, qui in ipsum credunt. Hactenus B. *Brentius*. Cujus scripta exegetica, præsertim in Vet. Test. libros dignissima sunt, quæ diligenter evolvantur ab om- nibus, qui Theologiæ & Philologiæ sacræ etiam studio addicti sunt: quippe doctrinæ cœlestis omnigenæ & observationum va- riarum ex Hebræo textu plena, elogio doctissimi Theologi & Philologi D. *Salomonis Glassii* *Phil. lib. 4. Tract. 1. observat. V. pag. mihi 865*. Quibus ex Romano-Catholicis se aggregat *Cornelius à Lapide* ad *Genesim, cap. 3. v. 20. Hoc nomine Hevæ, inquit, se & uxo-*
à La.*

rem ad mortem à Deo damnatos solatur Adam, quod per Evam gignet posteriores viventes, in quibus & ipsi, licet morituri tamen quasi parentes in filiis victuri sint perenniter. Suffragantur etiam è nostratibus Magnus Calovius Tom. I. Bibl. Illustrat. Vet. Test. pag. 249. seq. celeberrimus D. Job. Gerhardus Comment. in lib. I. Mosis pag. 118. & Venerandus ordinis Theologici in Academia patria senior, D. Sebastianus Schmidius, quem Deus servet, disputat. Miscell. 2. §. 6. Nonnulli contrariæ sententiæ favent & Adamum nomen Evæ uxori suæ ante peccatum imposuisse contendunt, cujus tamen *ὄνομα* *ἑστίας* mentio à Mose fiat demum post lapsus commemorationem, quia immediate præcesserat judicium mortis & prædictio reductionis in pulverem, ex quo desumptus fuerat homo; quasi diceret, ante peccatum nihil tale homini accidisset, mortis non fuisset mentio; ideo vocaverat Adam uxorem Chavam: non solum quia vivens erat ipsa, sed quia omnium viventium mater futura erat, quemadmodum opinionis hujus mentem explicat Vir eruditissimus D. Andreas Rivetus Exercitat. XXXIX. in Genes. Qui ipse mavult hic *ἐπέχειν*, quam audacter definire. Nihilominus tamen magis propendet, inclinaturque in alteram sententiam. Sed veritatem primæ, & falsitatem posterioris sententiæ eleganter demonstravit prælaudatus Venerandus D. Schmidius disp. cit. §. 5. & 6. ut supervacaneum foret, si unum verbum adderem.

§. III. Per lusum ingenii quidam Rabbiorum *חַוָּה* derivant à *חַוָּה* indicavit, nunciavit, quod mulier animal loqvax & garrulum sit. Fabulantur enim decem cabos garrulitatis descendisse in mundum, & novem sibi sumpsisse mulieres. Ita nominatim, Baal Hatturim citante Sixtino ab Amama loco, quem supra indicavimus, ludit & scribit: *ויקרא את שמה חוה על שם שמחווה חוה* hoc est, & vocavit nomen ejus *חַוָּה*, quia (multum) garrit. Hoc est, quod dicunt: decem cabi colloquiorum descenderunt in mundum; sed novem abstulerunt mulieres. Dubito an huc quoque referenda ridicula speculatio Magistri historiæ Scholasticæ, Petri Comestoris, seu, Manducatoris (*),

A 3

qvi

(*) Quo nomine appellatus est, quod dicta biblica ita memoriter proferret, quasi ea in ventrem memoriæ esu condidisset, ut loquitur Tritemius.



qui iterum allegante *Sixtino ab Amama* pag. 231. inquit: *Tunc Adam deplorans posteritatis suae miseriam, vocavit uxorem suam Evam, quasi alludens ejulatu puerulorum. Masculus enim recens natus dicit A. foemina vero E, quasi diceret omnes dicent Evel A, quotquot nascentur ab Eva.* Videtur enim ille rem seriam agere, nec ludere velle.

§. IV. Præter nomen אָדָם Adamus uxori suæ etiam nomen אִשָּׁה indidit *Genes. II. v. 23.* Quo de nomine Rabbi *Isaacus Abarbanel* (cui *Hugo Grotius* in annot. ad libr. I. de jure Pacis & Belli c. 2. §. 6. p. 35. elogium illustrissimi tribuit, quemq; doctissimus *Constantinus P. Empereur* מסכת מדרות p. 417. præ cæteris omnibus Doctoribus Hebræorum commendat) observat, quod primum Evæ fuerit proprium, cui peculiari ratione competat, postmodum autem omnes mulieres tam nuptas, quam innuptas, eo esse nuncupatas אִשָּׁה in memoriam Evæ. Locum ejus integrum cum versione habes in plurimum Reverendi Sacerdotis Lipsiensis, *Licent. Rivini*, Præceptoris mei honorandi dissertat. de serpente seductore pag. 63. 64. Deducitur id ab אָדָם vir, masculus. Rationem istius ἀνομασίας & denominationis innuit ingeniosissimus *D. Dannhaverus* noster in *Hodosophia* pag. m. 431. Non sine usu fuerit, adjicere verba *B. viri Nomen*, inquit, *quo uxorem suam (Adamus) ornavit אִשָּׁה* quantam monstrat sapientia extemporanea abyssum? ostendit materiam, è qua ipsa prodierit, sexum à se diversum, ordinem in hac sexuum diversitate, legem in consilio Dei hætenus absconditam, quod ipse sit conjungendus Evæ & quod vinculo arctissimo sint constringendi conjuges; amorem futurum ardentiolem quam est parentum & liberorum. Conf. *B. Gerhard.* l. c. pag. 118. 119. Potissimam causam reddidit ipse *Moses: כי מאיש לקחה*, quia de viro sumpta est. Atque hinc *Symmachus*, approbante *Hieronymo* Tradit. Hebr. in *Genes. Tom. 3. fol. 132.* interpretatus est ἀνδρῆδα & *B. Luthero* pulchre est Männin. *Vulgatus* & hunc secutus *Arias Montanus* vertit viraginem. Quæ vox à viri quidem voce descendit, aliam tamen habet significationem, quam Hebræum אִשָּׁה, nam non quamvis foeminam denotat, sed virum agentem, vel virili animo præditam quod ipse *Cornelius à Lapide* l. c. ad c. 2. v. 23. p. 76. fatetur Conf. etiam *Buxtorf.* dissertat. Philologico - Theolog. pag. 32. *Pagninus* reddit virissam voce minime latinis usitata. Mellius & rectius transtulerunt

runt *Junius & Tremellius viram*, quæ vox hac ætate quidem latinis insolens, vetus tamen est ac satis bona. Eas enim, quas nunc fœminas dicimus, antiqui viras appellabant, quod notatum *Festo Pompejo. Genevenses* in Gallica versione sua habent *Hommesse. LXX.* etymologiam in Græco non servarunt; unde inconcinnæ eorum est interpretatio: αὐτὴ κληθίσεται γυνὴ ὅτι ἐκ ἄνδρός ἐλήφθη, id est, hæc vocabitur γυνὴ mulier, quia de ἀνδρός viro sumpta est. Haud absimilem versionem dedit *Paraphrastes Chaldeus* רַחֵם יִתְקַרֵּן : רַחֵם יִתְקַרֵּן אֲתַנְסִיבֵת רַחֵם : רַחֵם אֲתַנְסִיבֵת רַחֵם hæc vocabitur אֲתַנְסִיבֵת mulier quia מִבְּעַרְהָ de viro suo assumpta est ista.

§. V. Vocem אֲתַנְסִיבֵת Dn. *Valentinus Schindlerus* in *Lexico Pentagl.* pag. 43. ab אֲתַנְסִיבֵת Rabb. sonuit derivari posse credit, additque congruere eandem etiam cum אֲתַנְסִיבֵת firmus seu robustus fuit. *Magnificus D. Wellerus* in explicat. *Psal. l. v. i.* pag. 8. observat vocabulum illud aliquos ab אֲתַנְסִיבֵת ignis, alios ab אֲתַנְסִיבֵת verbo ἀκλήτω, ita ut אֲתַנְסִיבֵת sit servile, deducere, rationemque etymologiæ hanc dare, quod vir non tantum essentia prior muliere & auctoritate; sed fervidioris sit naturæ ac constantioris (quando - - animis opus est ac pectore firmo) animi, sed major in eo vis sit, quam in fœminis nec vela det retrorsum, salutem ubi pedibus alii quærun. Denique clarissimus *Buxtorfius* (*Grammaticorum Christianorum doctissimus* *judicio Wagenseilii Tel. Ign. Mantiss.* pag. 32.) in *Lexic. Chaldaico, Thalmudico & Rabbinico* pag. 75. & in *Lexic. Chald. & Hebr.* pag. m. 22. ut & *Venerabilis Academia nostræ Senior & nunc Rector Magnificus Andreas Sennertus*, Dn. Hospes & studiorum promotor omni pietatis studio constantissime prosequendus (qui libris ad hanc dissertationem elaborandam necessariis, quod publice grato imo gratissimo celebramus animo, nos instruxit) in not. ad *Psal. l. pag. 7.* suæ potius, quam alienæ originis statuunt. Eligat ex his sententiis quam quis velit, ego mihi in præsentia id non sumo, ut facultatem optionis inter eas lectori præripiam.

§. VI. Non possum hic silentio premerelufum venustum, & elegantem, quem *Rabbini* Judæorum Magistri ludunt in vocabulo אֲתַנְסִיבֵת & אֲתַנְסִיבֵת. Ajunt illi DEum duabus istis vocibus inferere nomen suum sanctissimum אֲתַנְסִיבֵת (quod permulti demptis literis inter

inter mediis contractum volunt ex יוהי, dissentientibus tamen aliis, ceu animadvertit M. *Georgio Ottho* Ling. & Poes. in Academia Marburgensi Professor Ordinarius dissertat. Academ. de nomine Dei tetragrammato יוהי pag. 64.) nimirum jod priori dictioni in medio, & ה posteriori in fine, si maritus & uxor præcepta divina observent, pietatiqve studeant, ut se illis præsentissimum innuat: sin vero secus, DEum auferre exinde sacri sui nominis literas, quibus ablatis, nihil utrobique præter ונ sive ignem residuum esse, & hunc ignem maritum & uxorem consumere, juxta illud *Jobi* cap. XXXI. v. 12. *ignis, qui ad interitum devorabit.* Conferratur in hanc rem perspicacissimus Rabbiorum peruestigator & censor Dn. *Job. Christoph. Wagenseilius* Doctor meus & Patronus, dum Altdorffii essem, primarius, cujus de humanitate & eruditione nullus unquam *Tullius* ita magnifice dicet, quin id virtus ejus superet, Sot. pag. 387. cui adde si placet B. *Glassii* Philolog. pag. 307. vel B. *Waltheri* officin. bibl. §. 668. p. m. 551.

§. VII. Instituti ratio efflagitat, & nos monet, ut nunc quædam de Evæ creatione ex costa Adami differere aggrediamur. Non pauci existere, qui creationem Evæ ex Costa Adami impugnant, Evamqve exinde formatam esse negarunt non sine aliqua specie rationis. Nos tamen intrepide id asserimus atqve defendendum suscipere non dubitamus. Rem enim ita se habere testatur ipse *Moses*, testis omni exceptione major lib. I. cap. 2. v. 21. 22. *Et immisit, inquit, Jehova DEus soporem altum Adamo, quo obdormivit, & accepit אֶת־מִצְלַעֲתוֹ, unam è costis ejus, & inclusit carnem pro illa, & edificavit Jehovah DEUS אֶת־הַצֶּלַע costam, quam accepit de Adamo in mulierem, & adduxit eam ad Adamum.* Ubi vox צלע omnino per costam interpretanda, prouti infra probatum dabimus.

§. VIII. Inter eos, qui nostræ de creatione Evæ opinioni adversantur, primo loco nominamus *Thomam de Vio Cajetanum*, quem *Sixtus Senens.* lib. IV. Biblioth. Sanct. pag. 386. Incomparabilem vocat Theologum & inter eruditissimos doctissimi sui seculi longe eruditissimum, qui sibi non potuit persuadere talia accidisse, quæ narruntur à *Mose* de Eva ex costa Adæ formata, adeoque istam *Mosis* narrationem in parabolam transformavit, relatus propterea ab *Alphonso à Castro* l. 2. adversus hæreses inter hæreticos,

reticos, quoniam inconsiderate, si audiamus hic *Natalem Alexandrum*, Theologum Sorbonicum *Histor. Eccles. Secul. XV. & XVI. Tom. I. p. 931.* quod dogmata sua pertinaci animositate non defenderit, sed corrigere paratus fuerit, si inveniret falsa, scriptaque sua Ecclesiae iudicio subjecerit, cui utilem alioqui navaverit operam. Mentem ejus prolixius exponit, pariterque rationes summam attingit *D. Andreas Rivetus Exercit. XXIV. in Genes.* Ratio primaria est, quod si textus, quo prohibetur desumptam esse ex Adamo costam ex eaque extructam Evam, ad literam intelligatur, inevitabile absurdum incurratur. Nam costa ablata, inquit, vel fuit necessaria, vel supervacanea & redundans. Quicquid vero dicatur, cum grandi absurditate conjunctum esse. Si prius, sequi, quod Adamus post ejus ablationem factus sit mancus & mutus, si vero posterius, sequi, quod a Deo creatus fuerit monstrosus & imperfectus. Deinde dicit, ipsum contextum suam sententiam roborare, quoniam adducere animalia ad Adamum & non invenire interea adjutorium commodum ipsi, si sensu literali intelligatur, ridiculam denotat inquisitionem, quia nemo sanae mentis de eo potuit dubitare, an inter animalia posset reperiri adjutorium conveniens Adae. Postrema ejus ratio est, quod Moses jam c. 1. 27. mentionem fecerit creationis masculi & feminae.

§. IX. Sed haec sententia admitti non potest, quia nulla ratio nos cogit deserere in hac narratione sensum literalem, a quo sine urgente necessitate non est discedendum. Praeterea in non unam incidimus absurditatem, si a sensu literali hic digrediamur. *Conf. Rivet. l. c.*

§. X. Par est ratio sententiae *Origenis*, vetusti illius scripturarum interpretis, quem prisca secula (testante *B. Quenstedtio de sepultur. Veterum pag. m. 13.*) ob laborem & studiorum tolerantiam Adamantium vocarunt, qui relicta & elisa historica veritate relationem Moysi de formatione Evae ex costa Adami allegorice exponit, ceu meminit *S. Augustinus lib. 17. de Civitate Dei c. 3.* Quod mirum non est, si cogitemus, ipsum universam pene scripturam in allegorias permutasse. Quod cacoethes in eo notarunt & reprehenderunt non solum *Augustinus, Hieronymus* (qui tamen ipse saepe & sine modo hic peccat notante *Job. Dallaeo tract. de usu Patrum pag. 248.*) & alii; sed & ipsi *Romano-Catholici. Cardinalis Bellarminus lib. III. de amiss. Gratiae c. 3. §. eundem errorem dicit, cum more suo ad allegoriam omnia, quae absurda ipsi videbantur*

B

trans



transfere. Consentunt *Riebera* & *Acosta*, quorum verba habes
 apud *Glasium* in *Philol. S. I. H. pars 1. Tract. 2. sect. 3. art. 5. p. m. 299.*
 Eum qui adhuc hodie inter *Romano-Catholicos* viget, pruritus
 allegorizandi haud pauci quoque castigant. Tres produxit *Six-*
tinus ab Amama l. c. p. 158. 159. nimirum *Sixtum Senensem*, *Rieberam*
 atque *Serarium*. Immerito vero *R. Lipmannus* christianis in univer-
 sum objicit studium allegoriarum, ceu recte observavit prae-
 datus *D. Wagenfeilius* noster in confutatione carminis *Lipman-*
niani pag. 244. Caeterum illud mirari subit, quod cum *Origenes* to-
 tam fere scripturam in allegorias converterit, dictum *Servatoris*
Matth. XIX. comm. 12. Et sunt Eunuchi, qui se ipsos castrarunt propter
regnum caelorum, ad literam capiendum duxerit, & se *Eunuchum*
 fecerit, ut scilicet sibi eo melius promeretur regnum caelorum.
 Quod facinus *Origenianum* *Eusebius Caesariensis* *Histor. Eccles.*
lib. VI. cap. 8. prodidit memoriae. Non pigrabor verba ejus adscri-
 bere: τὸ γὰρ εἶσιν εὐνῆχοι, οἱ πινες εὐνῆχοισαν ἑαυτὰς ἕνεκα τῆν βασιλείαν τῶν
 οὐρανῶν, ἀπλῆστερον καὶ νεανικώτερον ἐκλαβὼν, οὐκ μὲν σωτήριον φωνὴν δόξα-
 πληρῆσ' οἰόμενοι. οὐκ δὲ καὶ ἕνεκα τὸ νέον τὴν ἡλικίαν ὄντα, μὴ ἀνδράσι μόνον,
 καὶ γυναῖξι δὲ τὰ θεῖα προσποιεῖν. ὡς ἂν πᾶσαν τὴν πόλιν τοῖς ἀπίστοις ἀί-
 χροῖς ἕνεκα βολῆς ὑπόνοιαν δόξαι λείπει τὴν σωτήριον φωνὴν ἕνεκα ἵνα τελέσαι
 ἡμεῖς, h. e. ut vertit *Vir* eruditione cum maximis hujus ac supe-
 rioris ætatis *Philologis* comparandus (*elogio Pauli Colomesii* ad
Cave Chartophyl. p. 37.) *Henricus Valesius*: *Nam cum verba illa, sunt*
quidam Eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum: sim-
plicius ac juvenilius accepisset, partim ut Servatoris nostri verbum ad-
impleret, partim ut omnem obscæni rumoris & calumnie occasionem infi-
delibus adimeret, eo quod ipse etate juvenis non solum viris, sed & femi-
nis divine fidei præcepta tradebat, dictum Servatoris re ipsa exequi ad-
ortus est.

§. XI. Ad argumenta *Cajetani* facilis est responsio. Ad pri-
 mum respondet *Doctor Angelicus Thomas Aquinas* in *summ. Theo-*
log. part. I. quæst. 92. art. 3. costam illam fuisse redundantem in *A-*
damo & ad perfectionem ejus non pertinuisse, si consideretur ut
 homo singularis; non autem fuisse superfluum, sed necessariam,
 si consideretur ut principium speciei sive hominum, sicut se-
 men, quod non est de perfectione suppositi, necessarium erat
Adamo ad procreandam sobolem. Hanc responsionem uti non
 penitus repudio, ita mihi melius alii respondere videntur, costam
 illam

illam fuisse ex necessariis ad corpus Adami, nec tamen propterea mutilum & imperfectum redditum Adamum, quia Deus in locum costæ ablatæ mox aliam substituit. Quando enim *Moses* dicit: *בשר תחתנה ויסגור* & *clausit carnem pro ea* per *בשר* non nudam carnem, sed carnem cum costâ intelligi debere, quemadmodum *צלע*, ex qua Eva formata, non fuit nuda costâ, sed costâ carne vestita, nam alias perperam Adam dixisset *נתת הפעם עצם מעצמי* *והוה אלהים* *ובשר מבשרי* *hoc tandem est os ex ossibus meis & caro de carne mea.* Et sane si costâ illa non fuisset una ex necessariis ad corpus Adæ, neque ad ejus constitutionem & integritatem pertinuisset, Eva: salva veritate ex Adamo formata dici non posset. Ad secundum respondemus: Falsum est, quod fingit *Cajetanus*, si verba *Mosis* *Genes. 2. v. 20.* *אלעזר* sumantur, exinde eam consequi absurditatem, quod Deus adjutorium quæsi verit Adamo, subjectum enim verbi *מצא* non est *יהוה אלהים*, sed *האדם* Adamus. *לוא* vero juxta Hebraismum *B. Weller* l. c. pag. 25. & viro sacrarum linguarum literarumq; doctissimo *Joh. Andrea Danzjo*, quo me aliquando Præceptore usum semper gaudebo, part. II. Nucifrangibul. §. 203. pag. 201. annotatum, quo pro pronomine cujuslibet personæ adhibetur ipsum nomen, cujus vicem illud subire debet, ponitur pro pronomine tertiæ personæ *לו*. Vel si hæc responsio non placeat, dicamus cum *B. Gerhardo* Comment. in *Genes.* pag. 58. verbum activum *מצא* passivam assumere significationem, seu impersonaliter usurpari per peculiarem linguæ Hebraicæ idiotismum (cujus non parca manu suppeditant exempla viri optime de literis Hebraicis meriti *Glasius* in *Philol. S. lib. III. tract. 3. can. 23.* & *Buxtorfius* in *Thesouro Grammat. lib. II. cap. 10.*) adeoq; exponendum esse per inveniebatur, sive inventum est. Ad tertium argumentum respondeo; cap. 1. in genere tantum describitur creatio Adami & Evæ; specialiter vero refertur in cap. 2. Mos enim scripturæ est, sæpe aliqua brevi compendio narrare, & ad eandem latius differenda redire, ut loquitur Hippo-næ præsul, *S. Augustinus* lib. VI. de *Genes.* ad liter. cap. 2. qui *B. Damhaver* nostro in *Epit. Rhetor.* pag. 37. Patrum Deus vocatur.

§. XII. Stolidi nonnulli *Judei* Evam & Adamum primitus concreatos fuisse comminiscuntur, ita quidem, ut à fronte Adamus, à tergo autem Eva esset, sed postea Deum ipsos separasse.

Sic ex recentioribus nugatur R. *Menasseh Ben Israel* Conciliat. in
 Genes. quæst. 8. Sic quoque in *Bereschith Rabba* sect. 8. legitur :
 אמר רבי רמיה בן אריעוד בשעה שברא הקבה את אדם הראשון
 : אמר רבי אריעוד אנדרוגיטוס בראוה ה' הד זכר ונקבה בראם :
dixit R. Jeremia, filij Elie-
ser ea hora qua Deus creavit primū hominem Androgynum creavit eum,
& hoc ipsum est, quod dicitur, masculum & fœminam creavit eos. Paria
 occurrunt in מדרש תלים ad Psal. 139. אמר רבי אריעוד אנדרוגיטוס
 : אמר רבי אריעוד אנדרוגיטוס בראוה ש'נאמר זכר ונקבה בראם :
dixit R. Elieser, quod homo Andro-
gynus sit creatus, quia scriptum est masculum & fœminam creavit eos.
 Ubi vox Androgynus non pro Hermaphrodito sumitur, quo-
 modo alioqui accipi solet, sed primus homo ideo androgynus
 appellatur, quod duplici forma, virili & fœminea simul creatus
 fit, quarum illa extiterit à parte ejus anteriori, hæc à parte ejus po-
 steri. Hos quodammodo è Christianis sequuntur *Franciscus*
Georgius & Augustinus Steuchus Eugubinus, qui Adamum & Evam
 ab initio lateribus concreatos esse volunt, ut duo, qui se mutuo
 complectuntur, prout memorat vir multæ lectionis & luculen-
 tæ eruditionis, D. *Guilielmus Saldenus*, Pastor Ecclesiæ Hagiensis
 in otii Theolog. l. II. exercit. 2. §. 7. pag. 224.

§. XIII. Sed utramque opinionem absurdam esse & insulsam
 facile probo : Si primus homo Androgynus esset conditus & Eva
 atque Adam ita in humeris vel lateribus cohæfissent, male dixit-
 set Moses, *masculum & fœminam ברא אתם* creavit eos, personas sci-
 licet diversas; sed dicere debuisset, *masculum & fœminam ברא אתו*
creavit ipsum, scilicet Adamum. Ad hæc, dicit Deus Genes. c. 2. v. 18.
non est bonum hominem esse solam, faciam ei auxilium commodum ipsi
 & Moses l. c. v. 20. testatur, *Adamum sibi non invenisse adjutorium*
conveniens. At quomodo solus Adamus erat, & cur ei adjuto-
 rium fuisse negatur à Mose, si Eva jam creata humeris vel lateri e-
 jus dextro adhærebat. Occinis mihi : Solus erat Adam, quia haud
 magis auxilio ipsi erat ita corpori ejus agglutinata Eva, ac si solus
 penitus fuisset. Resp. cum eruditissimo *Saldeno* l. c. pag. 226. *Cur er-*
go mulier minus sola dicta fuit, quam Adam, cum procul dubio eodem mo-
do se ipsos ad se invicem habuerint, neque magis vir mulieri sic affixus au-
xilio esse potuerit quam mulier viro. Speciatim contra Christianos
 urgemus tum auctoritatem *Augustini*, qui lib. III. de Genes. ad lit.
 cap. 22. ita scribit : *Ne quisquam arbitraretur ita factum, ut in homine*
 fin

singulari uterq; sexus exprimeretur, sicut interdum nascuntur, quos androgynos vocant, ostendit, se singularem numerum propter conjunctionis unitatem posuisse, & quod de viro mulier facta sit, sicut postea manifestabitur cum id quod hic breviter dictum est diligentius coeperit explicari: & ideo pluralem numerum continuo subjecit, dicens: fecit eos & benedixit eis. Tum illud Apostoli Pauli, quod habet 1. Corinth. XI. comm. 8. vir non est ex muliere, sed mulier ex viro & 1. Timoth. II. v. 13. Adam prior formatus est, deinde Eva. Si enim Eva Adamo ita annexa fuisset, ut volunt, non minus bene dixisset Paulus virum productum ex muliere, quam mulierem ortam ex viro, vel potius, neutrum ex altero productum esse, neq; enim hæc nova fuisset productio; sed diversi saltem sexus uno corpore constantis separatio atq; disjunctio. Et qui Adam prior diceretur formatus, deinde Eva, quod si fœmina cum viro simul condita & latere ei conjuncta fuit. Judais vero opponimus è gente ipsorum Doctorem summæ dignitatis autoritatisq; (*) R. Mosem Maimonidem, quem & Mosem Ægyptium nuncupant, quoniam plurimam vitæ partem in Ægypto transegit, qui Evam non nisi potentia cum Adamo productam asserit, quatenus nempe costa est creata, ex qua deinceps Deus ædificavit Evam, & sententiam de Adamo & Eva dorso conjunctis occulto sensu accipiendam esse docet in מורה נבוכים seu Doctore perplexorum part. II. c. 36. in quo varia explicat, quæ pertinent ad opus creationis p. 280. editionis Buxtorfiana, ubi sic scribit: Dicunt Adam & Eva creati fuerunt sicut unus & tergis vel dorso conjuncti, postea vero à Deo divisi fuerunt qui dimidiam illam partem accepit, & fuit Eva, & adducta fuit ad ipsum. Dicunt etiam; unam e costis ejus idem esse quod, unam ex partibus ejus, vel, unam partem ejus quam explicationem confirmant ex eo, quod in Targum vocabulum צרע costa redditur per סטר: ut, (Exod. XXVI. & c.) צרע costa Tabernaculi redditur in Targum per סטר latus tabernaculi. Ita hic dicunt, Mittza-

B 2

costis

Qui ab illis הרב הגדול, magnus Doctor & הנשר הגדול, aquila magna vocatur, pervulgatoq; illo dicto celebratur משה עד משה ממה לא קם כמשה id est, à Mose (legislatore) non surrexit sicut Moses iste. Alia elogia, quibus eum ornant, comportavit clarissimus M. Hermannus ab Hardt/ Amicus meus honoratissimus in dissertat. de fructu, quem ex librorum Judaic. lectione percipere possunt christiani §. 13.

Lot av idem esse, quod missitrohi. Animadvertite quomodo explicetur, quod fuerint certo respectu duo, & certo respectu unum, sicut dicitur. (Genes. 2.32.) os ex osibus meis & caro ex carne mea. Quod certo respectu fuerint duo, id confirmatur ex eo, quod dicitur, nomen unum, ambobus convenire; vocabitur Ischabvira, quia ex Isch viro de sumpta est. Quod fuerint unum confirmatur eo, quod dicitur, & adhaerebit uxori suae & erunt in carnem unam (ibid. v. 24.). Quanta vero est ignorantia illius, qui non intelligit, haec secundum sensum aliquem occultum intelligenda esse? Ita ille. Cui adjungimus R. Salomonem Jarchi & Isaacum Abarbenelem adductos eximiis Philologis Paulo Slevogto disputat. Ebraeo - Philolog. de creatione primi hominis contra Ebraeos part. prior. §. 17. & Job. Conrado Dieterico Antiquitat. bibl. p. 67.

§. XIV. Judaei vero ne gratis istam erroneam sententiam amplecti videantur, de ea stabilienda & statu minanda multum sunt solliciti. Principio dicunt verba Mosis Genes. II. v. 21. ויקח אחת: מצלעתו: unam è costis ejus vertenda esse, & caepit unum è lateribus ejus, quia vox צלע non costam solum, verum etiam latus significat, ut Exod. XXV. 12. & fundes ei quatuor annulos aureos & indes eos quatuor impagibus ejus, ut duo annuli sint על צלעי האחת in latere ejus uno & duo annuli השנית על צלעו in latere ejus altero. c. XXXVII. v. 3. & fudit ei quatuor annulos aureos ad quatuor impages ejus, ut essent duo annuli על צלעו האחת in latere ipsius uno, & duo annuli על צלעו השנית in latere ejus altero, Item Exod. XXVI. v. 20. & 26. & c. 27. v. 7. Ut adeo sensus sit, Deum Evam ab Adamo, cui agglutinata erat separasse atq; segregasse. Respondeo: si hoc cupit Moses, Deum ab Adamo Evam, quam humeris ejus concreaverit, dissociasse atq; disjunctis, cur ergo eam aedificatam dicit לְאִשָּׁה in mulierem? Diversissima sane sunt, mulierem de novo producere, & eam, quae viro concreata, separare. Vel cur non aeq; Adamum aedificatum לְאִישׁ in virum dixit ac Evam in לְאִשָּׁה in mulierem. Par enim utriusq; fuit ratio nec minus illius latq; ab hac quam hujus ab illo separatum fuit. Deinde Judaei populares nostri ipsi in versione sua Germanica vocem צלע Genes. c. 2. v. 21. per costam exponunt, citante Theod. Hackspanio Professore quondam in Academia Altdorffina celeberrimo, Syllog. disputat. Philolog. & Theolog. p. 294. Verba versionis ita sonant: Und er nam ein von sein Rippen/und er beschloß Fleisch an ihr statt. Tertio si Moses non costam è numero plurium, sed la-

tus

tus intellexisset sine dubio non pluralem adhibuisset numerum, sed vel dualem צַלְעַי, vel notam numeri addidisset, ut fecit *Exod.* XXVII. v. 7. Latera enim non habet plura homo, sed duo duntaxat. Porro, *Theodorus Hackspan.* Hebraice doctissimus l. c. p. 285. & part. 1. not. Philologico-Theolog. p. 737. nondum evictū esse notat, vocem צַלְעַי uspiam sumi de hominis latere, & scriptores sacros alio id nomine, scilicet יָרֵךְ appellitare consuevisse. Deniq; si vel maxime concederemus, vocem צַלְעַי interpretandam esse per costam, quid inde praesidii roborisq; capient *Apelle*? Certe nihil nisi velimus contra communem loquendi consuetudinem statuere, quod absit à nobis ut faciamus (*), latus significare tergum. Volunt enim recutiti Adamum & Evam non in lateribus, sed tergis cohaesisse. *Secundo* dicunt vocem אָרַם marem & foeminam simul notare, suaq; significatione ambos continere v. g. *Gen. I. com. 26. & 27.* Resp. animo tubentissimo concedimus vocabulum אָרַם speciem notare, at probent recutiti exinde seqvi, primum hominem androgynum creatum esse, quod hoc loco est in quaestione. *Tertio* dicunt, Scripturam nuspiam memorare, quod Deus peculiarem animam inspiraverit Evæ, quod omnino fieri oportuisset nisi Eva prius humeris Adami conjuncta fuisset, & animam suam tunc accepisset cum Deus נִשְׁמַת חַיִּים halitum vitæ ipsi Adamo, hoc est, corpori ex mare & foemina constanti, inflavit. Resp. Nos statuimus cum B. *Quenstedtio* part. 1. Theol. Didactivo-Polem. p. 512. Evam non solum secundum corp9, sed & secundum animam ex costa Adami productam atq; formatam esse. Costa enim illa non fuit inanimata, sed animata, utpote de vivo corpore divina manu sumpta. Unde ἀναγκαστος nobis videtur ista consequentia: Deus non immediate inspiravit animam Evæ, ergo Eva conjuncta erat Adamo & anima ei tunc inspirata, quum inspirata fuit ipsi Adamo. Alias responsiones qui desiderat, lectione frequenter Doctiss. *Hackspanii* Syllog. disput. p. 291. *Paulum Slevogtum* l. c. §. 121. *Saldenium* l. c. §. 8. p. 227. seq. *Quarto* inde quoq; suum errorem confirmare student, quod *Rex Psalmographus* ad Adami creationem respiciens, *Psal. CXXXIX. v. 5.* dicat, אָרַם יָקָדְמָי צַלְעַי retro & ante formasti me. Resp. Plerisq; verbum צַלְעַי significat h. l. *obsidere,*

ar-

(*) Vere scribit D. *Dannb.* Sanctæ memoriæ in idea Boni Interpret. & Malitiosi calumniatoris p. mihi 183. ut nemini licet novam monetam cudere; sed ea uti quæ communiter obtinet, ita certe nemo est, qui vocem aliter intelligat, quam communiter est recepta.

arctare, (qua significatione alias communiter accipitur, quo de conferatur Philolog. & Theol. celebratissimo D. Mart. Geierg comment. in h. l. p. 2498. 2499) voluntq; mentē Davidis esse, se quoad omnes sui partes, omnesq; suos motus, sive antrorsum, sive retrorsum, arctissime à Deo suo presentissimo cingi & attendi. Sed viro de lingvis orientalibus immortaliter merito & aliquoties jam nobis laudato, *Theod. Hackspan.* in notis ad h. l. & Syllog. disput. p. 288. notat *formare*, (quo sensu adhibetur *Exod. XXXII. 4.* וַיִּצַר & *formavit illum* (vitulum) בְּחָרֵט *calo. 1. Reg. VII. 15.* וַיִּצַר & *formavit duas columnas aeneas.*) additq; *Psalmem* idem dicere quod *Jobus c. X. v. 8.* יָדֶיךָ עָצְבוּנִי וַיַּעֲשֵׂנוּ יַחַד סָבִיב, quod *Lutber.* transtulit, *deine Hände haben mich gearbeitet / und gemacht alles / was ich umb und umb bin.* Eodem modo acceperere vocem istam *Interpretes 70. & Syrus*, illi enim eam per *πλαττειν*, hic vero per

וַיִּצַר reddidere. Atq; hanc acceptionem memoratus *Geierus* quoq; ad h. l. laudat absouam fatetur, licet ipsi prior *Ambiendi Cingendise* acceptio adhuc videatur commodior, utpote cum de formatione demum sequatur inferius v. 15. 16. Verum sive priori, sive posteriori modo accipiamus hunc locum, nihil ibi praesidii pro suo errore inveniunt *Judei*. Si enim priori sensu accipiatur, nihil ibi occurrit de formatione Adami, sed sermo est tantum de formatione Davidis, adeoque omnium, quos Deus in utero formare dicitur. Si vero altero sensu sumatur, tunc ne gry quidem ibi apparet de formatione hominis, nedum Adami: Deniq; urget etiam *Menasseh Ben Isr. ael. LXX. Interpretes* qui locum *Genes. I. 27.* in singulari interpretati sint, & auctoritatem *Platonis*, cujus eadem fuerit sententia. *Resp. LXX. Interpretes* habent, ἀρσεν & ἴσθ' ἄνδρ' ἐποίησεν αὐτῶς. Id quod *Plato* vero de primo homine androgyno habet, non dubitamus fabulis accensere.

§. XV. Cæterum nonnulli homines curiosi & otiosi disquirunt, *An costa è qua formata est Eva, è dextro an sinistro latere sit sumpta?* Ast (applicamus hic verba doctissimi *Hakspanii*, quæ habet *Syllog. disp. p. 291.*) præstat in hisce talibus *Eliæ* advertantis expectare iudicium, quam curiose inquirere in ea, quæ definite nescias. Ea enim demum erudita inscitia est, nescire velle, quæ *Magister maximus* docere noluit.

§. XVI. Reliquum est, ut attingamus breviter quæstionem illam à multis agitatum, cur *Eva* ex costa & non ex alio viri membro creata sit atq; producta? *Deus* nusquam id revelavit; acquiescere ergo nos oportet in *mera Dei εὐδοκία*, quanquam nobis maxime placeat conjectura *Hugonis de S. Victore* & *B. D. Gerhardi*. Quos inter ille citante *B. Calobio Bibl. Illust. V. T. Tom. I. p. 240.* ait: *Non de capite, nec de pedibus sumptum est id, unde fieret mulier: ne aut domina, si de capite, aut ancilla si de pedibus, putaretur. Ideo de medio, id est costa, sumi decuit ut sociæ intelligeretur.* Hic vero *Comm. in Genes. p. 64.* sic scribit: *mulier non est formata ex pedibus viri, ne scabellum pedum ab ipso habeatur, Syr. 4. 6. 35. nec ex capite, ne imperium in illum sibi arroget 1. Timoth. 2. 6. 13. sed ex latere, id est, ex vicinia cordis ut vir eam diligat, tanquam corporis sui partem, Ephes. 5. 6. 29. Mulier à viro recipit robur ac defensionem, ideo ex parte ejus dura, videlicet costa est formata, sub umbra brachiorum ejus vivere debet, ideo ex costa laterali est formata 1. Petr. 3. 6. 8.* Quomodo *R. Levi* in *Rabbot*, istam quæstionem decidat legi potest apud *D. Wagenfeil. Sot. p. 637.*

וַיִּצַר אֱלֹהִים אֶת אָדָם




Aug VI 15


ULB Halle 3
003 865 746


Sb.

Reho
VD 17
KD 18
Z







32.

PHILOGICA
TIONE
Æ
dami,
im Academia
inebit
DE
FRIDERICO
ELIO,
atenfi,
L ZEBERLIN,
Svevus,
c. l. l. l. LXXXVIII.
Q. C.
BERGÆ,
SCHULTZII.

